Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26928
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Beda presbyter ait. Maius autem omnibus quod mediatori dei et hominum ihesu christo pater dedit. hoc est ut sit unigenitus filius eius nullo gignenti uel nato dissimilis uel uirtute inferior. uel tempore posterior. Quam uidelicet equalitatem ipse dominus in diuinitate habuit priusquam mundus esset apud patrem. ipse in humanitate ex tempore incarnationis accepit.

Maximus episcopus de natale domini tractans. ipsam natiuitatem qua deus natus est ex femina. diuinam potius quam humanam nominandam censuit. dicens inter cetera. Secreto quodam incomprehensoque conceptu procedit de mortali femina diuina progenies. Nec mirum sane. si extitit diuina natiuitas ubi non erat humana conceptio. Idem.

Duas in christo generationes legimus, in utraque incomprehense diuinitatis est uirtus. ibi enim illum ex semetipso genuit deus. hic eum uirgo deo operante concepit. illa natiuitate hominem fecit. hac generatione hominem liberauit. Cum autem duas christi legimus natiuitates. non bis asserit dei filius natus sed gemina in uno dei filio confirmat esse substantia. Idem. Igitur deus qui apud deum erat prodiuit a deo et caro dei que in deo non erat processit ex femina. Item ubi uerbum caro factum est non ut deus euacuaretur